



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

28. De Hæreticis defunctis; & quomodo contra supradictos debent
Inquisitores procedere; & quomodo, & quando, & in quibus casibus &
circumstantiis eorum bona Fisco sint applicanda, & aliqua alia circa ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

526 Tractatus XII. De Poenis Delictorum,

ut comparet; ipsius autem non contemptis contumaciam accuset fiscalis, & per litteras, seu libellos aggravatos, quibus denunciatur ejus contumacia, & tunc post annum non comparentem declarent illum Inquisitores hereticum. Hæc omnia Soula in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 49. n. 2. §. 6. Simanca tit. 46. Pegna in direct. p. 3. comm. 49. & 91. Farinacius quest. 190. §. 12. num. 21. & alij.

Sup. hoc sup.
in tr. 10. ref.
124.

2. Sed hic oritur pulchrum dubium, an Inquisitores; si post annum absentes contumaces compareant, debeant illos audire etiam quoad bona confiscata? Affirmative respondet Scaccia de judic. & c. lib. 1. cap. 98. num. 34. & Farinacius de heresi quest. 85. numero 109. ubi testatur in Inquisitione Romana servari quod quodcumque contumaces sponte compareant, semper audiuntur, & quoad personam & quoad bona.

3. Verum contrarium observatur in Inquisitione Hispanica quoad bona, nisi de ejus innocentia, vel legitimo impedimento confiteris, & ita tenet Simanca tit. 2. num. 21. Paramus lib. 3. quest. 4. num. 47. Pegna in direct. part. 3. comm. 49. Io. Rojas singul. 145. num. 5. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 20. num. 27. & Soula in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 49. n. 7. ubi sic ait: Qui elapso anno contumaciter in excommunicatione perseveravit, etiam si coactus & post combustum ejus statum comparuerit, audiendus est quantum ad excusationem criminis, & probationem innocentiae, non vero ad hoc ut bona recuperet, nisi vel de innocentia ejus, vel de justo impedimento legitime concilietur præmissa abjurazione prout juris fuerit, nisi sit relapsus. Ita ille. Et rationem quare tales non audiantur quoad bona, tradit Sanchez ubi supra, quia quando bona ob contumaciam heretici absentes publicantur, elapso jam anno stant in rem judicatam, & ideo non est mirum si postea reus comparens circa illa non audiat.

4. Notandum est tamen hic obiter cum Simanca tit. 52. num. 4. Farinacio q. 185. §. 7. n. 98. & 99. Soula ubi supra, num. 11. quod in crimine heresis pro absente citato Procurator comparens admittitur, ut defensor innocentiae, & modo res si dubia, & sit tantum de heresi suspectus. Nam si verè sit hereticus, ac de ejus heresi in processu constet, tunc non admittitur ut defensor, sed tantum ad excusandam contumaciam, & allegandas absentiae causas, propter quas aliquando Inquisitores solent prorogare terminum ad comparandum, & ita Castus Palaus tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 3. num. 2. testatur in Inquisitione Compostellana anno 1619. ex decreto supremi Senatus fuisse prorogatum terminum cuiusdam reo per quatuor menses.

5. Nota etiam quod bona absentium in tertium possessorem translata, licet de rigore juris sequestrari non debeant, si tamen paulo ante citationem fuga præcessit, probaque facile possit quæ bona sint, sequestrari debent, & ita responsum fuit à supremo Inquisitionis Senatu Inquisitoribus Gallicæ anno 1620.

6. Sed etiam non est omittenda hic celebris illa questio, an bona supradictorum reorum, propter contumaciam debeant ab Inquisitoribus publicari à die quo testes deponunt illos in heresim incidisse, vel potius à die qua per sententiam contumaces declarantur? Olim mordicus sustinebam, talem confiscationem bonorum debere fieri à die latæ sententiæ in contumaciam delicti, ex rationibus quas adducit Gabriel Quemada in quest. fiscalibus, quest. 8. per totam. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 22. num. 35. Vasquez in 1. 2. quest. 96. art. 5. disp. 170. toto cap. 3. Molina de instit. tom. 1. disp. 95. Henriquez lib. 13. cap. 56. num. 2.

Avila de cens. part. 1. dub. 7. & Simanca tit. 9. num. 26. ubi sic ait: Bona ejus, qui deficit in purgatione, aut propter contumaciam damnatus est, non publicantur nisi ab eo die, quo hereticus esse præsumitur, non autem à tempore, quo testes aiunt illum fuisse hereticum, atque hæc opinio benigna interpretatione recepta est. Sic ille. Sed licet, ut dixi, hanc sententiam olim mordicus sustinebam, attamen modo contrarium probabilissimam esse puto, quam novissime tenet Farinacius, quem citat & sequitur Castus Palaus tract. 4. disp. 5. punct. 22. num. 2. quibus ego addo Azorium tom. 1. lib. 5. cap. 7. quest. 2. & lib. 8. cap. 11. §. 2. Sayrum in Clavi Regia lib. 3. cap. 9. num. 30. Menochium consil. 185. num. 8. Peregrinum de jure sibi lib. 5. tit. 1. num. 176. & Lessium lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 54. & ita in praxi observatum fuisse in Inquisitione Gallicæ, hoc approbante supremo Inquisitionis Consilio, testatur Inquisitor San Vincente in manuscriptis, quod est valde notandum pro casibus occurrentibus.

RESOL. XXVIII.

De hereticis defunctis, & quomodo contra supradictos debeant Inquisitores procedere, & quomodo & quando, & in quibus casibus, & circumstantiis eorum bona fisco sint applicanda, & aliqua alia circa supradicta notantur. Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 28.

§. 1. Licet omnia crimina morte extinguantur, ex l. defuncto, ff. de publicis indicis, non tamen crimen heresis extinguitur, & ideo contra hereticum post mortem possunt DD. Inquisitores procedere, ut affirmant Doctores, quos citat & sequitur Sanctarelus de heresi cap. 27. dub. 1. numer. 12. Igitur formato processu si heresis est plenè probata, hereticus mortuus damnandus est, & ejus bona fisco sunt applicanda, etiam si devenerint in manus tertij possessoris, & si ejus ossa à Catholicis possunt distingui, exhumanda sunt, & ejus statua comburenda. Si tamen non probetur ejus delictum, neque speretur brevi probandum, tunc esse abolendus, nam supervenientibus novis probationibus quæ cum prioribus junctis heresim plenè probent, poterit sic absolutus condemnari, ut notat optimè Pegna in direct. part. 3. comm. 92. qui etiam optimè notat quod dum causa heretici mortui agitur, bona ejus non sunt sequestranda à tertijs possessoribus, non enim debent in casu dohij illorum usu privari; & ideo in instruct. Tolet. anno 1561. n. 81. habentur hæc verba. [Aunque la probanza contra el difunto sea bastante y evidente no se ha de hazer sequestro de bienes porque estan en poder de terceros poseedores, &c.]

2. Notandum est tamen hic quod hereticus defunctus condemnari non potest nisi prius citatus fuisse, vel heredibus, sive præsentibus, sive absentibus, sive certis, sive incertis, & illis danda est copia indiciorum & accusationum; sic statuitur in instruct. Tolet. anno 1561. num. 61. ibi. [Notificar se ha la acusacion del difunto, &c.] & ita fiscal à los hijos o herederos del difunto, &c.] & ita etiam docet Pegna ubi supra, cui addendus est Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 57. n. 8. qui filij & heredes non tenentur per se comparere, sed sufficit si per procuratorem comparent, ut notat Simanca in catol. instit. tit. 43. num. 3. Imò ego puto contra Rojas singul. 39. quod quilibet è populo volens defendere hereticum defunctum, admittendus sit, neque ob id dici potest hereticorum defensor, & ita docet Gundisalvus de heret. quest. 12. n. 9. Simanca in enchir. tit. 62. n. 8. & alij ubi supra.

3. Adver

In S Officio imponendis. Ref. XXIX. 527

3. Advertant etiam DD. Inquisitores quod procedere non debent contra memoriam defuncti priusquam de illius hæresi planè confiterit per legitimas probationes, quæ ad condemnationem sufficiant, & ita intelligenda est instructio Toletana anno 1561. numero 61. ubi dicitur, [Quando se huius de procedet contra la memoria de algun difunto haviendo la probança bastante, &c.] quæ verba ut advertit Io. Rojas de hæret. part. 2. num. 30. disponunt plenam probationem requiri, ut adversus defunctum hæreticum procedatur, videlicet si duo legitimi testes existant, & ita tenet Simanca in cathol. instit. tit. 18. num. 12. Pegna ubi supra, quicquid asserat Decianus in tract. crim. l. 5. cap. 57. num. 6. & 9. cum aliis. Hinc inferitur quod si pendente processu mortuus fuerit inquisitus, ejus memoria damnari non poterit, nisi aliunde ejus hæresis plenè & concludenter probata fuerit, & ita ex Simanca & Deciano notat Farinacius de hæresi quæst. 197. num. 99. Item de hæresi suspecti post mortem damnari non possunt, quia non sunt hæretici, & ita habetur expresse in c. accusatus, §. si vere, de hæreticis in 6. & docet Simanca in cathol. instit. tit. 4. n. 5.

4. Sed nota hæc duos casus, in quibus quis damnari potest tanquam hæreticus post mortem. Primò, si in carcere existens se ipsum interemit, quia talis mors est quædam hæresis confessio, nam præsupponitur ex conscientia criminis se interfecisse, nec de illa poenitere voluisse. Ita Gundissalvus de hæret. quæst. 22. num. 1. Simanca in cathol. instit. tit. 18. num. 31. & alij. Secundò quando hæresis est probata sufficienter ex eo quod probetur extitisse quis contumax per annum in excommunicatione saltem ob causam fidei. Ita Iul. Clar. lib. 1. §. hæresis, n. 19. Decian. in tract. crimin. lib. 5. cap. 57. num. 6. & alij. Quando autem damnatur hæreticus defunctus, ejus ossa exhumanda sunt, si forte ab aliis possunt distingui, & cum ejus statua comburenda, ut observat ex multis Farinac. quæst. 197. n. 92. & 94. & forma sententiæ defumenda est ex Pegna in direct. part. 3. comment. 93. circa finem.

5. Sed restat discutere difficilem questionem, quando videlicet Inquisitores ex lapsu temporis non possunt procedere adversus hæreticum defunctum? De hac questione agit Rojas singul. 50. & alij penes ipsum, quibus adde Zanchinum de hæret. c. 24. n. 5. & ibi Campegius lib. 8. aliqui recentiores, ut Ferdinand. de Castro Palao in oper. mor. tom. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 16. §. 7. n. 16. putant spatium 40. annorum sufficere, ut Inquisitores adversus hæreticum defunctum non possint procedere, quia ex cap. fin. de præscript. jus confiscandi bona hæreticorum 40. annis præscribitur.

6. Verùm mihi contraria sententia placet, quam ruerit Pegna in direct. Inquis. part. 3. comment. 92. Simanca in cathol. instit. tit. 18. num. 14. Covarr. in 4. Decret. part. 2. cap. 6. num. 16. Gassius in decis. lib. 2. cap. 11. n. 2. & Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 22. n. 42. ubi docent quod nullo temporis spatio præscribitur actio procedendi per DD. Inquisitores contra hæreticum defunctum ad ejus memoriam dampnandam, & statuum comburendam, & ad text. cap. fin. de præscript. quem adducit Castrus, respondeo, quod ibi tantum agitur de præscriptione, quoad sola bona hæreticorum, ita nostram sententiam adversus Castrum & alios tenet novissimè doctus Acugna Archiep. Bracharensis in decretum Gratiani part. 1. disp. 23. cap. 14. n. 6. ubi tamen notat, quod contra fautores & receptatores hæreticorum jam mortuos, non potest accusatio refricari, sicut neque contra suspectos de hæresi, sed tantum contra hæreticum defunctum.

7. Notandum est tamen hæc obiter contra gloss. in l. Manicheos, vers. subire, c. de hæret. Bartolum in l. 2. c. de Apostat. & alios, bona hæreticorum non præ-

scribi à possessoribus spatio quinque annorum, quod falsum est, etiam applicanda essent fisco seculari, ut malè sentit Covarruvias ubi supra, Quædam in 99. fiscal. quæst. 16. concl. 2. & 3. Gomez lib. 3. var. cap. ult. num. 5. & alij, nam ut supra dictum est, ad præscriptionem bonorum hæreticorum ex cap. fin. de præscript. in 6. requiruntur 40. anni, & in præscriptione circa bona hæreticorum, standum est juri Ecclesiastico, & non civili, & ita docet Sanctarellus de hæresi c. 22. dub. 2. n. 8. & Doctores superius citati, qui etiam observant condiciones necessarias ad dictam præscriptionem. Vide etiam Azorium tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 16. Molinam de just. & jure, tom. 1. disp. 73. Gundissalvum de hæret. q. 22. Sylvestrum ver. hæreticus 1. n. 14. Tabienam eodem ver. n. 12. gloss. in d. cap. fin. de præscript. ver. hæretici, & ibi Domin. in §. si post mortem, n. 4. Abbat. in cap. cum nobis, eodem tit. n. 8. & ibi Felinum num. 15. cum aliis penes ipsos.

RESOL. XXIX.

De Schismaticis, & de pœnis contra supradictos imponendis agitur.

Et queritur, an sit in jure irregularitas instituta contra Schismaticos? Ex parte 4. tractatu 7. Resolut. etiam 29.

§. 1. **T**ribus ferè modis, ut observat optimè Lorca in 2.2. D. Thom. quæst. 40. art. 1. sect. 3. disp. 48. num. 5. generatim potest schisma committi: uno per separationem à membris, & non à capite, ut si Hispani in spiritualibus & actibus Religionis Christianæ nolent communicare cum Italis, qui modus schismatis rarus est. Altero, recedendo à solo capite, & non à membris, qui modus facilius contingere potest. Tertiò recedendo simul à capite & à membris, qui evenit dum is, qui se separat ab obedientia Pontificis, se etiam separat à communicatione eorum, qui cum ut verum Pontificem sequuntur. Recessus autem à Summo Pontifice potest contingere adhuc tripliciter. Primò negando obedientiam vero Pontifici. Secundò instituendo & sequendo Pseudo Pontificem. Tertiò exercendo actus Pontificiæ potestatis sine auctoritate Pontificis. Ex his omnibus modis committitur peccatum schismatis, & ferè omnes in diversis Canonibus juris tanquam schismata reprobantur. Nam in Bulla Cœnæ damnantur, ut schismatici qui se subtrahunt ab obedientia Rom. Pontificis, & in c. licet, de elect. damnatur Pontifex intrusus, & qui ei adhæret, & in cap. nec licuit, disp. 17. & cap. de Liguribus 24. quæst. 1. censentur schismatici qui Synodos congregant sine Romani Pontificis auctoritate, & in cap. non furem 7. quæst. 1. qui invadit Episcopatum. De schismate autem quò aliquis se separat à sola unitate membrorum, nulla fit mentio in jure, quia, ut dixi, hoc genus schismatis nunquam solet accidere.

2. Hoc supposito deveniendo ad pœnas ex doctrina Menochij de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 6. num. 24. quem sequitur Castrus Palao tom. 1. tract. 6. disp. 4. punct. 6. n. 19. Schismatici sunt de hæresi vehementer suspecti, & ideo si hæc doctrina esset sequenda, illorum abjuratio deberet esse de vehementi. Verùm hæc opinio Castr. Palai ita generaliter prolata mihi non placet, ideo assero cum Sousa in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 20. num. 13. quod schismatici non hæretici regulariter tamen diuturnitate, qua in schismate perseverant, vehementem suspicionem incurrere possunt, quam abjurare tenentur. Ita ille, & ante illum Duatius in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. quæst. 156. num. 12. & Pegna in direct. part. 2.